



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XVII. Markgraf Albrecht schenkt dem Kloster Bernstein das Dorf Nypoltzke,
am 2. Juni 1300.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XVII. Markgraf Albrecht schenkt dem Kloster Bernstein das Dorf Nypoltzke,
am 2. Juni 1300.

In nomine domini amen. Nos Albertus, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, Recognoscimus et in publicam noticiam cupimus deuenire singulorum, quod de bonis nostris a Deo nobis collatis cultum diuinum ampliare cupientes, ad laudem Ihesu Christi eiusdemque matris Marie virginis perpetue, ad salutem quoque animarum nostre videlicet ac progenitorum, filiorum, heredum ac successorum nostrorum, celebem vitam sanctimonialium in Berensten, ordinis Cysterciensis, inspicientes, villam nostram Nypoltzke cum omnibus suis attinentiis, scilicet agris, siluis, aquis, paludibus, pratis, pascuis, molendinis constructis pariterque construendis, ac omnibus suis prouentibus, cum omni iure temporali et spiritali, sicut eam habuimus, sine omni precaria, ecclesie earundem pure donauimus propter Deum iusto libertatis ac proprietatis titulo perpetuo possidendam. Vt autem nostra donatio inuiolabiliter obseruetur, presentem paginam conscribi fecimus et munimine nostri sigilli roborare. Testes huius sunt frater Wilhelmus, Hermannus plebanus in Oberan prepositus in Soldyn, Albertus de Bruncow, Bruno Capellanus noster et alii quam plurimi fidedigni. Datum et Actum Quarzan, anno domini M^o. CCC^o. feria quinta in festo pentecostes, Temporibus Herardi prepositi sanctimonialium predictorum.

Nach von Dreger's Abschrift des Originals.

XVIII. Die Markgrafen Otto, Conrad und Johann vereignen dem Kloster Bernstein das Dorf
Clausdorf, am 13. September 1301.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Otto, Conradus et Johannes, de Brandenborch et Landesberch marchiones, omnibus in perpetuum. Quoniam labilis est hominum memoria et obliuioni dedita, necesse est ut ea, que sunt in tempore, ne simul labantur cum tempore et obliuioni tradantur et fiant irrita et annihilata, voce testium et literarum testimonio perhennentur. Nos autem hoc attendentes, et illud malum negligentie seu obliuionis omnino precauere volentes, Recognoscimus tenore presentium publice protestantes, Quod dominabus siue sanctimonialibus in claustro Bernsteyn, Deo ibidem seruientibus, ob Dei remunerationem, qui nullum bonum irremuneratum dimittit, et in animarum nostrarum remedium singulare villam Clausdorp et proprietatem ipsius ville cum omni iure, cum omnibus iudiciis summis et infimis, cum omnibus attinentiis seu pertinentibus ad eandem, cum omnibus agris cultis et incultis, cum pratis et pascuis, cum omnibus lignis et siluis, cum omnibus stagnis, riuis et riualis, cum omnibus molendinis constructis et construendis, simpliciter cum omni vtilitate, quam sibi infra metas hucusque habitas poterunt ordinare, ab omni etiam exactione siue precaria et angaria et ab omnibus quibuscunque seruiciis liberam et exemptam, donauimus perpetuo possidendam. Vt ergo ista omnia a nobis et a posteris nostris rata et firma et inuiolabiliter obseruentur, presentes dedimus sigillorum